

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:  
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam  
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus  
gerendum, disposita**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

In die festo Johannis evangelistae

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

# IN DIE FESTO JOHANNIS EVANGELISTÆ.

*Evangelium Joh. 2. l. v. 15. -- 24.*

## EXORDIUM.

**C**um Deus Opt. Max. Mosen vocaret, ut ad Pharaonem se reciperet, & liberationem populi Israelitici sollicitaret, ille tergiversatione utens, dicebat: Obsecro Domine, non sum eloquens ab heri & nudius tertius, & ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris & tardioris linguæ sum. Obsecro Domine, mitte, quem misurus es, Exod. 4. v. 10. 13.

Si prælectam nostram Pericopen inspicemus, deprehendemus, idem fermè fecisse Petrum. Dicente enim ad eum Domino: Sequere me, intellige, in doctrinâ & passione, obsequitur quidem: attamen continuò quarit, quomodo cum Johanne comparatum sit, utrum ipse prosperiori in mundo fortunâ usus sit.

Hoc exemplum est humana πολυπραγμοσύνης, ubi unus & alter de aliis sollicitus est, sui ipsius verò obliviscitur, cui non immeritò objicias illud Siracidis: Quæ tibi præcepta sunt, illa cogita semper, & in pluribus operibus non eris curiosus, Eccl. 3. v. 22. Quod ipsum & Servator in Petro h. l. reprehendit.

Quod si verò quis sollicitus esse velit, de peccatis suis doleat, quomodo remissionem eorum consequatur, Psal. 38. v. 20. Hæc enim sunt abominatio in oculis Dei: hæc igitur abroganda sunt, si Deum obedienter, ut vult, sequi velimus. Discedat

ab iniquitate omnis; qui nominat nomen Christi, 2. Tim. 2. v. 19.

Nos Institutum nostrum memores contemplabimus

I. *Triplicem Querelam.*

II. *Triplicem Medelam.*

III. *Triplicem Cautelam.*

J. J.

## *Exegesis.*

**S**icut secunda arbor ad viam sita, à spratereuntibus, lapidibus & fustibus sæpissimè impetitur, & non modò fructu suo, sed & ramis privatur: Ita & cum Christianis res se habet, qui velut lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, fructum suum dant in tempore suo, Psal. 1. v. 3. & lucem fidei ostendunt coram hominibus, ut videant opera eorum bona, Matth. 5. v. 16. illi multa sustinere coguntur ab impio mundo, & fustibus tribulationum sæpè impetuntur, ut Christus Servator in prælecta Pericope, inter alia & Petro prædixit.

### *Querela respicit*

I. *Crucis Petri asperitatem.* Ita enim Servator: Amen, Amen dico tibi, cum esses junior, cingebas te, & ambulabas, ubi volebas: cum autem senueris, extends manus tuas, & alius te cinget, & ducet, quò tu non vis. Hoc autem dixit, signifi-

significans, quâ morte clarificaturus esset Deum. Hæc Petri merces futura erat in mundo hoc immundo. De reliquis Discipulis dicit quoque Servator in genere: Absque synagogis facient vos. Sed venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur, cultum se præstare Deo, Joh. 16. v. 2. 1. Cor. 4. v. 9.

Quamvis autem non omnes Martyrio coronemur, ut Petrus, attamen nemo nostrum sine afflictione erit. Quia acceptus eras Deo, ait Raphael, necesse fuit, ut tentatio probaret te, Tob. 12. v. 13.

Hoc quidem carni & sanguini grave videtur, malle enim supervestiri, quàm exspoliari, 2. Cor. 5. v. 4. verum non alia fors manet nos. Omnes qui piè vivere volunt in Christo Jesu, persecutionem patientur, 2. Tim. 3. v. 12. Et quemadmodum Israelitæ, mare rubrum transgressi, non statim Palæstinam ingrediebantur, sed antè in deserto errare, famem & sitim experiri, tum & cum variis hostibus dimicare cogebantur, qui illis viam interclusum ibant: Sic & nos, cum mare rubrum baptisimi permeavimus, non statim in Palæstinam cælestem pervenimus: sed antè in eremo hujus mundi varia adversa sustinere, & cum Diabolo, mundo & carne pugnare tenemur, quàm coronam justitiæ fidelibus repositam, consequamur, 2. Tim. 4. v. 8.

Vita nostra peregrinatio est, Genes. 47. v. 9. ideò ne ægrè feramus, si ventis, pluviis, aliisque tempestatum injuriis expositi simus, quam tamen tranquilla serenitas rursus consequitur, Tob. 3. v. 21.

Vita nostra militia est, Job. 7. v. 1. ubi intus pavores, foris pugna, 2. Cor. 7. v. 5.

ideò non intolens videatur nobis, si hostibus undiq; eorumque telis petamur, quin potius clypeo patientiæ ea excipiamus, quo omnibus perfectis stemus, Ephes. 6. v. 13.

Qui Christi discipulus esse vult, colorem ejus non erubescat, sed communicans Christi passionibus gaudeat, ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeat exultans, 1. Petr. 4. v. 13.

Cum Ruth in agro Boas spicas colligeret, buccellam suam in aceto intingere jubebatur, Ruth. 2. v. 10. 14. Sic & qui spicas misericordiæ divinæ in agro Ecclesiæ legunt, buccellam suam in aceto intingant oportet, h. e. ærumnas & afflictiones subeant, Psalm. 80. v. 6.

Israelitæ agnum Paschalem cum lactucis agrestibus comedere tenebantur, Ex. 12. v. 8. Quid hoc aliud significavit, quàm quod Deus suis fidelibus crucis onus imponat, quâ exterior homo corrumpitur, interior verò de die in diem renovatur, 2. Cor. 4. v. 16. in alterâ vita non amplius lactucis agrestibus vescemur, sed inebriabimur pinguedine domus ejus, & torrente voluptatis ejus potabimur, Psalm. 36. v. 9.

Hæc fors Christianorum in hoc mundo est, ubi verè ærumna duplicatur bonis viris, je lieber Rind / je schärffere Ruthe. Judicia enim Dei à sanctuario ejus incipiunt, Ezech. 9. v. 6. 1. Petr. 5. v. 17. Noli itaque obstupescere, tanquam ad rem peregrinam: Sic itur ad astra, 2. Timoth. 2. v. 11.

Quod si onus tibi gravius videtur, cogita alios, sciens eandem passionem ei, quæ in mundo est fraternitati tuæ convenire,

I. Petr. 5. v. 9. Nemo hic immunis est, Calix in manu Domini, vini meri plenus infusus, Psal. 75. v. 9. hic calix tribulationis est, quem Dominus singulis propinat, & tamen neminem tentari patitur, supra id quod potest, 1. Cor. 10. v. 13.

II. *Petri curiositatem.* Cum Petrus Johannem sequi videret, dicebat: Domine, hic autem quid?

Adhuc hodiè curiositas valdè familiaris est inter homines: qui providentiam Dei sæpè accusant, ut æquo animo non suscipiant, à quo alios immunes esse conspiciunt.

Si cui mors imminet, mallet hoc decretum ab Altissimo immutari, respiciensque alios, ait: Quid autem hic? Cur hunc Deus vitæ diuturnitate beat? Defecerunt sicut fumus, dies mei: & ossa mea sicut titio exusta sunt, Psal. 102. v. 4. 5.

Verùm non ita. Dic potius cum Davide: Quare tristis es anima mea? Psalm. 42. v. 12.

Si crucis moles cui subeunda, mallet omnes homines eadem premi: hinc iterum querit: Quid autem hic? Hinc querelæ: Dominus dereliquit me; Dominus oblitus est mei, Esa. 49. v. 14.

Sed non ita. Caritas Christiana ita comparata sit, ut & tuo damno alios adjuves, si possibile foret, ut Moses Exod. 32. v. 31. 32. & Paulus, Rom. 9. v. 3. optarunt. Cogita quid Johannes dicat? 1. Ep. 3. v. 16. Quin & afflictio non tam iræ, quàm gratiæ divinæ indicium est, Prov. 3. v. 11. Jac. 1. v. 12.

Quodsi homo in Christianismo suo temperanter, justè & piè vivere jubetur, de alio sollicitus ait: Quid autem hic?

Nonne ille in peccatis præfractè pergît, & tamen in numero Christianorum censetur?

Verum quid hoc ad te? Tu potius Dei mandatum, non aliorum exempla respice: veniet tempus, ubi quilibet pro seipso rationem reddet Deo.

Quodsi homo in functione sua opera vocationis sedulo peragere debet: facile πολυπραγμοσύνης vitium incurrit. Ubi Clerici non raro rebus secularibus, & Politici Ecclesiasticis se immiscent. Ut exempla Core, Dathan, Abiron, Num. 16. v. 1. 31. Saulis, 1. Sam. 13. v. 9. 14. Regis Ulsæ, 2. Chron. 26. v. 16. 19. Ulsæ, 2. Sam. 6. v. 6. 7. idèo punitorum à Deo, testantur.

Fugiamus igitur tetrum hoc vitium. Unumquemque sicut vocavit Dominus, ita ambulet, 1. Cor. 7. v. 17. Rom. 12. v. 7. 8. 1. Thess. 4. v. 11. Sir. 10. v. 30.

III. *Opinionis discipulorum celeritatem,* de qua Evangelista: Exiit ergò sermo iste inter fratres, quia discipulus ille non moritur. Ubi Christus curiositatem Petri reprehenderat, verba ejus non dextrè intelliguntur, idèo colligunt inter se dicentes: Discipulus ille non moritur. Et hæc opinio divulgatur inter fratres, h. e. non solum inter Apostolos, sed & inter alios, qui fidem Christianam susceperant, qui fratres dicebantur, Act. 12. v. 1. 26. ratione unitatis fidei, & fraternæ caritatis.

Hic videmus unde sit, quod nonnunquam vanus rumor & falsa opinio de hoc vel illo divulgatur? nempè, inde, si alterius verba non rectè intelligas, aut sinistrè interpreteris.

Apo-

Apostoli quidem quod faciunt, non mala intentione, sed ex imbecillitate faciunt: Hodie verò inveniuntur, qui studiose aliorum verba depravant, & undique calumniose divulgant. Hinc sæpè vanus rumor exit inter fratres, si ve illos qui eandem fidem nobiscum profitentur. Hi nigri sunt, adeoque studiose cavendi. Ne contrà faciem stes contumeliosi, ne sedeat quasi insidiator ori tuo, Sir. 8. v. 14. Confer c. 27. v. 26.

Idipsum expertus est David, 2. Sam. 10. v. 2. Stephanus, Act. 6. v. 13. Servator ipse, Joh. 2. v. 19.

Nos vitium hoc cane & angue pejus fugiamus, memores admonitionis Siracidis: Corripe amicum, ne fortè non fecerit & c. Sir. 19. v. 13. 16.

2. Videmus, unde in Ecclesiam terrores irrepserint: nempe ex pravo Scripturæ intellectu, & incertis conclusionibus. Christus hîc ad Petrum ait: Si eum volo manere; hæc verba sinistrè intelligentes inferunt, nunquam eum moriturum. Hoc olim factum & hodiè tenus fieri amat.

Christus dicebat Joh. 6. v. 35. Ego sum panis vitæ, qui venit ad me, non esuriet. Ubi ille loquitur de spiritali manducatione, quæ ore fidei fit. Ideò paulò pòst addit: Caro non prodest quicquam. Verba, quæ ego locutus sum vobis, Spiritus & vita sunt, v. 63. E sinistro horum verborum sensu deindè sermo exiit inter Judæos, Dominum daturum carnem suam, ut velut alii cibi dentibus comminueretur, ex v. 53.

Dicente ad discipulos: Sedebitis super sedes duodecim, judicantes duodecim

tribus Israel, Matth. 19. v. 28. quod quidem die ultimo futurum Servator innuit, cum sederit in sede Majestatis suæ: Illi hæc verba perperam capiunt, unde sermo inter illos exiit, Dominum Regnum terrenum inchoaturum in tertis, ubi de proedriâ illi litigant, Luc. 22. v. 24.

Nos genuino verborum sensui inhærentes, probè caveamus, ne ab illo seducamur: rectum verò sensum facilè attingemus, si devotis precibus verbum sedulò meditemur, audiamus & legamus, Sir. 32. v. 19. 20.

### De Secundo.

**S**equitur *Medela*, quæ fluit  
1. Ex Dei crucem dirigentis potestate. Non enim capillus de capite nostro sine voluntate ejus decidere potest, Matth. 10. v. 29. In manibus ejus tempora nostra sunt, Psal. 31. v. 16. Ringat licet Diabolus & mundus.

Apostolo Petro hîc Servator prædicit, quod usque in senectam Apostolatu fungi, tùm verò demùm Martyrii coronam reportare debeat: hoc immutari nequit. Et licet Herodes ipsi in principio insidias struxerit, tamen id frustra tentavit, quia Dominus Angelo suo missò liberavit eum è carcere, Actor. 12. v. 7. ubi verò tempus definitum consecutum fuerat, anno ætatis 78. Apostolatus 37. crucifixus est.

Idipsum plura exempla testantur. Quoties Israelitæ Mosen lapidandum præsumserunt? frustra tamen, donec vitæ termino consecuto, eum Deus montem

Nebo confcendere, ibique mori juffit, Deut. 32. v. 49.

Quantis infidiis Saul Davidem profecutus eft? Quanto furore Jefebelem Eliam? Sed uterque inania meditatus eft. Ille enim 70. ætatis anno in lecto placidè exspiravit, 1. Reg. 2. v. 10. hic vero igneo curru & igneis equis in cælum avectus eft, 2. Reg. 2. v. 11.

Sic Diabolus absque Dei permiffu ne gty quidem nocere nobis potest, Exod. 8. v. 18. Ideò pleni fiducia cum Paulo dicere poffumus: Nemo noftrùm fibi vivit: & nemo fibi moritur &c. Roman, 14. v. 7. 8.

Sed & confolationem adfert, fi fciamus, cur Deus permittat, ut fideles fui ita affligantur, & velut oves maectentur, nimirum, ut Deus clarificetur. Ita in gloriam Dei cedit, fi Christianus patitur, aut perimitur ob nomen ejus. Equidem coràm mundo ignominiofum videtur, quando pii carnifici traduntur, & igne, fune, gladio, aut alio modo necantur. Verùm quia non patiuntur, quali homicidæ, aut fures, aut malefici, aut curiofi alienarum rerum, non eft, quod erubescant, 1. Petr. 4. v. 14. Nam pretiofa in confpectu Domini mors Sanctorum ejus, Pfal. 116. v. 15.

Hinc Moles magis elegit affligi cum populo Dei, quàm temporalem peccati habere jucunditatem: adfpiciebat enim in remunerationem, Hebr. 11. v. 25.

Hinc Apoftoli ibant gaudentes à confpectu concilii, quoniam digni habiti funt, pro nomine Jefu contumeliàm pati, Act. 5. v. 41.

Hinc Babylas Epifcopus Antiochiæ carnifices oravit, ne catenas fibi detrahe-

rent, quò in hoc decore coràm tribunali Chrifti triumphare poffet, Matth. 5. v. 11.

II. Ex Correctionis lenitate. Johannes, de quo hanc opinionem conceperant, eandem modè refellit, inquiens: Non dixerat Jefus: non moritur, fed, fi volo eum manere, donec veniam, quid ad te?

Docet hoc ipfo, quomodo errores, qui ex finiftrâ Scripturæ interpretatione nati funt, refellere, & in viam errantes reducere debeamus: nempè non verbis acetbis & contumeliosis, fed in mansuetudine & lenitate, Rom. 15. v. 1. Gal. 6. v. 1.

Et quò efficacius hæreticos convincamus, folius Scripturæ testimonia adhibenda funt. Non verbis loquimur, quæ docet humana fapientia, fed quæ docet Spiritus fanctus, 1. Cor. 2. v. 13. Ad legem & testimonium Efa. 8. v. 20. Hoc verbum manet in æternum, Efa. 40. v. 8. quod potens eft exhortari, Tit. 1. v. 9.

Ex Scripturâ Chriftus divortii jus docuit, & Pharifæos perperàm fentientes redarguit, Matth. 19. v. 3. 6.

Ex Scriptura Servator contrâ Sadducæos refurrectionem mortuorum probavit & afferuit, Matth. 22. v. 23. feqq.

Ex Scripturâ Paulus contrâ Judæos evicit, Jefum Nazarenum Meffiam & Filium Dei effe, Act. 9. v. 21. 22.

Hinc Auguftinus: Dominus nihil credi voluit, adverfus confirmatam Scripturarum autoritatem. Et iterum: Major eft hujus Scripturæ autoritas, quàm omnis humani ingenii perfpicuitas.

Sic & nos verbum Dei majoris faciamus, quàm omnium hominum gloffas, orantes cum Servatore: Sanctifica nos in ve-

in veritate tuâ, sermo tuus veritas est, Joh. 17. v. 17.

III. Ex historia infallibilitate. Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc. Et scimus, quia verum est testimonium ejus, dicit Johannes, qui & ipse est, de quo hic sermo inter discipulos exierat, quod non moriturus sit. Ideo hinc palam testatur, quid ex ore Servatoris audierit, & opinionem hanc falsam emendat. Merito ergo ei fidem habemus, quia non ex propria auctoritate loquitur, sed velut testis oculatus à Deo in hoc ordinatus, ut veritati testimonium perhiberet.

Perspicimus hinc, quanta *Autoritas Scripturae* sit. Doctrina Apostolorum & Evangelistarum vera & certa est, illi enim id annuñciaverunt nobis, quod audiverunt, quod oculis suis viderunt, quod perspexerunt, quod manus eorum contrectarunt, 1. Joh. 1. v. 1. illi sunt, quos Spiritus sanctus in omnem veritatem duxit, Joh. 16. v. 13. Hinc Petrus, 2. Ep. 1. v. 16-18. Confer Act. 4. v. 20.

Efficax hinc solatium nobis suboritur in omnibus tentationibus. Scriptura sacra non fabellis Ælopi, aut naso cereo similis est: sed liber est veritatis. Ideo certi sumus, fidem nostram sufficienter fundatam, omnesque Dei promissiones Etiam & Amen esse, 2. Cor. 1. v. 20. Lex Domini perfecta est, convertens animas, Psal. 19. v. 8. 11. Actor. 20. v. 27. 2. Timoth. 3. v. 16. Sufficiunt sanctæ & divinitus inspiratæ Scripturæ, ad omnem instructionem veritatis, ait Augustinus.

Nos hinc fidelem Dei providentiam, quâ salutis nostræ rationem habet, agno-

scamus, libros Scripturæ sacre eò magis diligamus, in iis legamus, & illos perscrutemur, quo salvifica Dei agnitione imbuti, ad salutem promoveamur, juxta Christi instructionem: Scrutamini Scripturas, Joh. 5. v. 39.

De Tertio.

**R**estat *Cautela*, quæ tribus absolvitur *Regulis*, ut sunt

I. *Christum dilige*. In prælecto nostro Evangelio Christus Petrum tertiam vice interrogat: an se diligit? Et respondet Petrus: Domine, tu omnia nosti, tu scis, quia amo te. Id ipsum dilectum nos ab ipso.

Caritas Christi supereminens scientia est, ait Paulus, Eph. 3. v. 19. Et si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema Muharematha, 1. Cor. 16. v. 22. Et quidni beneficium hunc Dominum diligere, quem amor hominum fecit hominem, cujus delicta sunt cum filiis hominum, Proverb. 8. v. 31.

Quis eum non diligeret, qui ab initio Ecclesiæ suæ præstò fuit. Mirificavit eam, Psal. 4. v. 4. in utero suo portavit, Esa. 46. v. 3. in manibus suis descripsit, Esa. 49. v. 17. ut signaculum super cor suum posuit, Cant. 8. v. 6. ut pater ejus miseretur, Psal. 103. v. 13. ut mater dilexit, Sir. 4. v. 11. ut mater consolatus, Esa. 66. v. 13. ut Sanator curavit, Exod. 15. v. ult. & ita semper mirabilis in Sanctis suis fuit, Psal. 68. v. 36.

Quis eum non amore amplecteretur, in quo cœlestis Pater nos dilexit ante

aaaa 3

jaeta

jecta fundamenta mundi, Ephes. 1. v. 5. imò, cum quo omnia nobis donavit, Rom. 8. v. 33.

Quis eum non diligeret, qui nos prior dilexit, & pro nobis mortuus est, cum adhuc peccatores essemus, Rom. 5. v. 8. qui propter nos servi formam assumpsit, Phil. 2. v. 7. & propter nos egenus factus est, ut illius inopiâ nos divites essemus, 2. Corinth. 8. v. 9.

Ipse nobilis ille Samaritanus est, qui vulnera nostra obligat & sanat, Luc. 10. v. 34. & nos amicè compellat ex Augustino: Falli non vis? veritas sum; mori non vis? vita sum; errare non vis? via sum: non est, quò eas, nisi ad me, non est quâ eas, nisi per me.

Sicut igitur ignis ignem succendit: Ita & meritò ignis amoris, quo nos Christus prior dilexit, corda nostra foveat, ut si non flammam ignis, minimum tamen aliquot scintillulas in nobis exsuscitet.

Christus est summum bonum, imò unicum bonum, primus & novissimus, Esa. 44. v. 6. Alpha & Omega principium & finis, Apoc. 1. v. 8. idèd caritas nostra ab eo incipiat, & in eo finiatur. Ipse super omnia & in omnibus est; propterea ipsum super omnia & in omnibus diligamus.

Extrâ illum nulla lætitia est, sed mera tristitia; extrâ ipsum nulla requies, sed mera inquietatio; extrâ ipsum nulla voluptas, sed merum fastidium; extra eum nulla salus, sed mera damnatio. Diligamus ergò eum suprâ omnes divitias, quia est summum bonum; suprâ omnem gloriam, quia est summa gloria; suprâ omnem sapientiam, quia est summa sa-

pientia; suprâ omnes delicias, quia est summa voluptas; suprâ omnem pulchritudinem, quia est summus decor; suprâ omnes homines, quia omnium amicorum amicus est constantissimus. Licet multa dicamus: tamen non possumus verbis assequi: breviter, ipse omnia est, Sir. 43. v. 28. Hoc ipsum amorem ejus in nobis exsuscitet, ut cum Ecclesiâ dicamus: *Herzlich lieb hab ich dich O Herr.*

II. *Christum sequere.* Christus hic dicit: Sequere me, quod non Petro modò, sed omnibus nobis dictum est.

Sequamur autem Christum

I. *Obedienter.* Ut diligamus habitaculum domus ejus, & locum habitationis gloriæ ejus, Psal. 26. v. 8. ubi memoriam nominis sui posuit, Exod. 20. v. 24. Ad quod invitat nos David inquiens: Servite Domino in lætitiâ: introite in conspectu ejus, in exultatione &c. Psal. 100. v. 1. 3. ibi domus ejus est, quæ est domus orationis, Esa. 56. v. 7. ubi veniet ad nos & benedicet nobis, Exod. 20. v. 24.

Sic promptè obedivit Abraham, ubi Deus eum jussit egredi de terra suâ: egressus est, sicut præceperat ei Dominus, & ivit cum eo Loth, Gen. 12. v. 1. 5.

Idem nos quoque faciamus. Dominum Deum vestrum sequimini, & ipsum timete, & mandata illius custodite, & audite vocem ejus, ipsi servietis, & ipsi adhærebitis, Deut. 13. v. 4. Vera Christi ovicula sequitur eum & audit vocem ejus Joh. 10. v. 3. 4. Sed & Præpositis nostris obediamus & parcamus, ipsi enim pervigilant pro animabus nostris,

Hebr.



Hebr. 13. v. 17. Insistamus vestigiis ejus, discentes ab ipso mansuetudinem & humilitatem, Matth. 11. v. 29. Phil. 2. v. 5. 8. 1. Joh. 2. v. 6. Joh. 8. v. 12.

2. *Patienter.* Quando nos vocat: Si quis vult post me venire, abneget seipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me, Matth. 16. v. 24. Qui non bajulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus, Luc. 14. v. 24. sequamur Redemptorem nostrum in patientiâ. Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere &c. Matth. 10. v. 28. 1. Petr. 2. v. 22.

Quod si ipsum per varias tribulationes & afflictiones securi fuerimus, sequemur quoque eum in cœleste gaudium, ut ipse ait: Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi ego sum, & illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi, Joh. 17. v. 24. Confer Rom. 8. v. 17. 19.

III. *Quæstiones inutiles remove.* Christus Petro ad futilem & curiosam quæstionem suam ita respondet: Si eum volo manere, donec veniam: quid ad te? q. d. licet eum superesse velim, usque ad diem ultimum, nihil te attingeret. Tu quæ muneris tui sunt cura, nec de aliis sollicitus esto.

Hinc satis elucescit, Dominum curiosam hanc Petri quæstionem minimè probare, ut & nos ab ejusmodi quæstionibus avocet, Quod & Paulus facit, 2. Tim. 2. v. 22. Tit. 3. v. 9.

Et si quis esset, qui inutiles ejusmodi quæstiones moveret, non adeo sollicitè ad illas respondere teneremur.

Discipulis Servatorem interroganti-

bus: Quod signum adventus tui erit, & consummationis seculi? respondit ille: De die illâ & horâ nemo scit, neque Angeli cœlorum, nisi solus Pater, Matth. 24. v. 3. 36. & cum antè adscensionem suam in cœlum ex eo quærerent: Domine, si in tempore hoc restitues Regnum Israel? dixit illis: Non est vestrum, nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate, Act. 1. v. 6. 7.

Quicumque igitur quæstionem proponere vult, ea quærat, quæ salutaria sunt & animæ salutari conducunt, ne à Salomone audiat: Ne respondeas stulto, juxtâ stultitiam suam, ne efficiaris ei similis. Responde stulto juxtâ stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur, Prov. 26. v. 4. 5.

Imprimis verò quilibet sibi caveat, ne mysteria divina ratione indagare præsumat. Sicut, qui mel multum comedit, non est ei bonum: sic scrutans gravia gravatur, Proverb. 25. v. 27. Sapient. 9. v. 13. 18.

Esto contentus eo, quod tibi in Scripturis revelavit Deus. Habes verbum ejus dilucidum & perspicuum, quod scriptum est, ut credas, & ut credens vitam habeas, Johan. 20. v. 20. Audi summam totius rei: Deum time, & mandata ejus observa, hoc enim omnes homines decet, Eccl. 12. v. 13.

Petrus per crucifixionem è medio tollitur, Johannes morte naturali obit. Hoc fit juxtâ voluntatem Dei investigabilem. Quod si adhuc hodiè Servator tuus vult, ut hic in infantiâ, ille in senectute, hic morte naturali, ille violenta  
in

in peregrinatione finiat vitam: ne sis curiosus cur id fiat, quia id nõ perscrutaberis. Deus cuique terminum suum constituit, qui præteriri non potest, Job, 14. v. 15. Tempora hominis in manibus Dei sunt, Psal. 31. v. 16.

Vir Ægyptius aliquando aliquid obvelatum per plateam ferebat. Huic obviabat vir curiosus, qui quærebat ex eo, Quid absconditum ferret? cui alter respondit: Ideo obvelatum est, ut tu nescias.

Idem responsum illis demus, qui myste-

ria divina ratione rimari non verentur: ideo enim mysterium est, quia per vestigari non licet. Contentus esto in sanctissimâ Altissimi voluntate, cum Davide dicens: Convertere anima in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi, Psal. 116. v. 7. & cum Eli Sacerdote: Dominus est, quod bonum est in oculis suis, faciat, 1. Sam. 3. v. 18. & cum Job: Sit nomen Domini benedictum, Job, 1. v. 26.

Laus & gloria sit Domino Deo nostro, per Jesum Christum, Amen.

## IN FESTO CIRCUMCISIONIS CHRISTI.

*Evangelium Luc. 2. v. 21.*

### EXORDIUM.

**C**Um Judæi ex extremo periculo, quod Haman ipsis concinnaverat, liberati essent, diem decimum quartum mensis Adar constituerunt esse solennem, ut in eo, omni tempore deinceps vacarent epulis, gaudio atque conviviiis, mittentes sibi mutuo donaria, partes epularum atque ciborum, *Jesth. 9. v. 17. 22.*

Hinc procul dubio consuetudo invaluit inter Christianos, ut hodierno die, non modò felicem annum sibi invicem precentur, sed & strenam mittant, in testimonium lætitiæ spiritualis, quæ ratione miraculosæ redemptionis, per Jesulum recens natum factæ, in cordibus eorum nata, de qua Angelus pastoribus Bethlehemiticis ita prædicat: Nolite timere: ecce enim

evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodiè Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David, *Luc. 2. v. 10, 11.* Ubi enim venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum natum ex muliere, *Galat. 4. v. 45.*

Propterea nos Christiani hodierno die novum annum auspicamur, quo die Christus legem subiens, legem pro nobis implere, & sanguinem immaculatum pro nobis fundere, salutemq; nostram operari cepit, ut Bernhardus loquitur.

Ut ita strenam inter Christianos Symbolum memoriale sit, cœlestis Jubilæi, quod Pater cœlestis in Filio suo, Jesulo recens nato, nobis donavit. Quasi alloquatur Christianus alterum: Ecce, mi fili, mi amice